

cepto fundatur, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2, quæst. 106. Deus autem non est capax beneficii; quis enim potest esse Dei benefactor, cum ab ipso sit omne bonum, et ipse nullius boni egeat, nec aliquid commodi vel utilitatis possit ab aliquo accipere? Dices: licet Deus non sit capax accessionis alicujus boni intrinseci, est tamen capax novi boni extrinseci, ut est honor, laus, adoratio et similia; ergo exhibitio istorum bonorum potest suo modo dici beneficium, cui gratitudo debeatur. Respondetur hæc ipsa non exhiberi Deo tanquam beneficia, sed tanquam servitia et obsequia, ejus excellentiæ, majestati et dominationi debita. Unde, licet obsequium non debitum interdum æquiparetur beneficio, ut docet D. Thomas, dicta quæst. 106, art. 4, ad 3, nihilominus hoc in Deo locum non habet, quia nullum obsequium potest ipsi exhiberi, quod non aliis titulis vel justitiæ, vel religionis, vel obedientiæ, vel etiam gratitudinis ad ipsum debeatur. Unde potest alia ratio formari, quia non potest quis alium ex gratitudine obligare per illud ipsum, quod ipse eidem personæ ex gratitudine debet; sed quicquid homo potest in obsequium Dei facere, potest etiam in signum grati animi exhibere, et ex gratitudine etiam id debet; ergo non potest inde gratitudinis debitum in Deo resultare.

10. *Opinio secunda.* — *Exvertitur.* — Dicunt ergo alii hanc retributionem solum esse ex virtute misericordiæ aut liberalitatis. Quia cum hoc meritum non inducat proprium debitum, dictis virtutibus et rationibus earum non repugnat. Unde, licet in remissione peccati meritum de congruo intercedat, ut capite sequenti dicemus, nihilominus, absolute loquendo, ex misericordia Dei fit, ut Scriptura loquitur. Et cum Deus homini petenti bonum postulatum concedit, liberalitate utitur, etiamsi talis oratio ab homine viatore et præsertim justo sine aliquo merito de congruo non fiat. Sed neque hic modus dicendi mihi satisfacit, quia, licet meritum de congruo non inducat debitum propriæ justitiæ, nihilominus inducit tale debitum, quod puram gratiam seu gratuitam donationem excludat. Nam ob hanc causam negat Catholica doctrina posse hominem suis viribus mereri de congruo primum gratiæ auxilium, quia tunc non daretur gratis simpliciter, ac subinde non esset gratia; ergo quod redditur propter meritum de congruo, non redditur mere liberaliter, ac proinde alia ratio

virtutis a liberalitate distinctæ in illa redditione consideranda est. Idemque est in misericordia evidentius, quia solum respicit indigentiam alterius, ejusque miseriæ sublevationem. Unde, licet eadem actio remunerativa meriti de congruo possit simul fieri ex misericordia, nihilominus, quatenus remuneratio est, ad misericordiam non pertinet. Sicut quod oranti conceditur propter vim promissionis, sub ea ratione non datur ex misericordia, sed ex fidelitate, quamvis simul possit ex misericordia tribui; ita ergo in præsentem intelligendum est.

11. *Vera responsio.* — Quapropter dicendum censeo hoc pertinere ad quamdam Dei justitiam, quam D. Anselmus in Prolog., cap. 11, et sequentibus, et D. Thomas 1 p., quæst. 21, decentiam divinæ providentiæ appellant, et nos alibi tractantes de divina justitia in peculiari disputat., sect. 4, justitiam generalem, aut quasi legalem, seu justitiam providentiæ aut providentialem vocavimus, eamque variis modis et exemplis explicuimus. Ibi tamen hoc exemplum de retributione meriti de congruo omisimus; re tamen vera hic actus remunerandi meritum de congruo, seu benefaciendi intuitu illius, et cum proportionem ad illud, est hujus justitiæ maxime proprius. Quia non attingit propriam rationem et obligationem particularis justitiæ divinæ, quam in retribuendis meritis de condigno observat, ut supra vidimus, et alioqui servat modum justitiæ, quatenus respicit aliquale debitum in operibus fundatum, et æquitatem quamdam respectu illius observationis. Neque in hoc puncto nova difficultas occurrit.

CAPUT XXXVII.

QUID POSSIT HOMO NON JUSTIFICATUS SIBI DE CONGRUO MERERI?

1. *Titulus elucidatur.* — *Assertio prima.* — Explicato merito de congruo, et omnibus conditionibus ejus, dicendum superest de rebus seu præmiis quæ sub hoc meritum cadere possunt. Diximus autem hoc meritum esse in peccatore et in homine justo, et inter eos discrimen constituimus, quod peccator sibi tantum, justus vero et sibi et aliis potest aliquid de congruo mereri, et ideo dicemus prius de peccatore, respectu sui tantum; et postea de justo, respectu sui et aliorum. Agimus autem hic de merito supernaturalis

ordinis, per quod aliquid pertinens ad dona gratiæ meremur, et ideo solum de præmiis aliquo modo supernaturalibus tractamus, quanquam obiter de naturalibus aliquid in fine attingemus. Hinc ergo dicimus primo, vel potius ut jam probatum supponimus, non posse peccatorem mereri primam auxiliantem gratiam de congruo. Hoc probatum est in libro tertio contra Semipelagianos, ubi testimonia, quibus hoc fit de fide certum, retulimus. Ratio vero est, quia opus mere naturale neque est dispositio proportionata ad supernaturale auxilium, neque ex se habet relationem ad dona supernaturalis ordinis, in qua possit talis congruitas fundari. Unde cum neque ex conditione personæ operantis possit aliqua congruitas oriri, cum supponatur in peccato et ante omnem gratiam, manifestum est in tali actu non posse esse meritum de congruo primi auxilii gratiæ.

2. *Assertio secunda.* — Dico secundo peccatorem divina gratia adjutum posse de congruo mereri suis actibus primam gratiam sanctificantem, ipsamque remissionem peccati mortalis. Hæc est communis sententia Theologorum cum Magistro in 2, d. 27, ubi D. Thomas, quæst. unic., art. 4, ad 4; et Albert., in 1, distinct. 41, art. 2, ad 2 et ult., satis obscure. Clarius ibi Bonaventura, art. 1, quæst. 1, et in 4, d. 15, 1 part., art. 1, quæst. 5, ubi etiam D. Thomas idem plane docet quæst. 1, art. 3, quæst. 4. Neque in 2. 2, quæst. 114, art. 5, oppositum docuit, nam, ut supra dixi, probabilissimum est loqui de prima gratia auxiliante, præsertim in corpore articuli. Præterquam quod de merito generatim loquitur. Unde, licet dicamus loqui de prima gratia in communi, ut abstrahit a sanctificante et auxiliante (nam revera utramque attingit), negatio meriti cum partitione accommodata erit accipienda, scilicet, ut de prima gratia auxiliante neget meritum, etiam de congruo, de sanctificante vero tantum de condigno. Nam, licet ipse expresse hoc non determinet, juxta materiæ capacitatem determinandum est. Vel certe si utriusque gratiæ primæ omne meritum excludit, de merito non fundato in priori gratia intelligendus est, nam de hoc loquitur in corpore articuli. In aliis vero locis allegatis, loquitur de merito de congruo fundato in priori auxilio gratiæ. Et ita partem hanc tanquam D. Thomæ doctrinam defendit Ferrar., 3 contra gent., c. 149, dub. ult. Eandem tenet Marsil. in 2, quæst. 18, art. 3, concl. 4, et Scotus in 4,

d. 14, quæst. 2, et ibi Gabriel, quæst. 1, art. 2, circa finem, et in 2, d. 27, quæst. unic., art. 2, concl. 4, et in art. 3, dub. 4. Scotus autem et Gabriel excedunt, ponentes hoc meritum in dispositione facta solis viribus liberi arbitrii. Qui error sæpe in superioribus reprobat, in præsentem vero materialiter se habet, nam formaliter in hoc conveniunt, quod dispositio, qualiscumque sit, et quibusvis viribus fiat, justificationem de congruo meretur. Et ex modernis tenet hanc sententiam Roffensis, artic. 1 contra Lutherum, § *Primum illa*, versus finem; et Tiletanus, apolog. pro Concilio Tridentino, circa caput 8 sessionis 6; latius id defendit Vega, lib. 8 in Tridentin., c. 8, et sequentibus, et q. 7 de Justificat.; et Bellarminus, l. 1 de Justific., cap. 21, et l. 2 de Pœnit., c. 21; Vazquez 1. 2, disput. 218, per totam, licet peculiari modo infra tractando. Melius, licet brevius, tenet idem Molina in Concord., disp. 26, ad 4.

3. *Ratione probatur assertio.* — Probationes hujus sententiæ afferemus, declarando illam; nunc breviter probatur ratione, quia nihil est quod huic merito de congruo obstet respectu talis beneficii, quia si quid obstaret, maxime status peccati in persona operante; sed hoc non obstat; ergo nihil est quod obstet. Minor probata est supra, c. 34, in generali, et in hoc speciali merito justificationis non intervenit aliqua singularis ratio, propter quam excipiendum sit. Quod patet, probando majorem et consequentiam argumenti, quia hoc meritum fundatur in priori gratia auxiliante, ut supponimus, et ex hac parte recedit omnino a Semipelagiano errore, juxta doctrinam Augustini sæpe repetitam, et in superioribus tractatam, et supponit præcipuam conditionem requisitam ex parte actus meritorii, ratione cujus habet sufficientem proportionem cum ulteriori gratia usque ad remissionem peccati. Et ex parte liberi arbitrii homo etiam facit quod in se est per vires auxiliantis gratiæ; ergo inde consurgit illa congruitas fundata in æqualitate proportionis, quam in nostris meritis consideravit divus Thomas, dicta quæst. 114, art. 3, dicens: *Videtur congruum ut homini operanti secundum suam virtutem Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis.* Quæ congruitas non parum augetur, addita promissione, quæ in justificatione etiam intervenit, ut in superioribus visum est.

4. *Objecta quatuor.* — *Primo, ex Rom. 3 et 4; secundo, ex Concilio Tridentino; tertio, ex D. Thoma; quarto, ex ratione.* — Contra hanc

assertionem objicitur primo illud Pauli ad Rom. 3: *Justificati gratis*, et cap. 4: *Non ex operibus*; secundo, Concilium Tridentinum idem affirmans, sess. 6, c. 8; tertio, quia gratia est principium et fundamentum totius meriti, tam de condigno quam de congruo, ut sentit D. Thomas 1. 2, quæst. 112, art. 2, ad 1, et quæst. 114, artic. 2 et 3, et infinitis aliis similibus locis; ergo sub neutrum meritum cadere potest, quia principium meriti non cadit sub idem meritum, servata proportione. Quarto, quia peccator est incapax totius meriti, quia est indignus omni debito apud Deum. Propter quæ argumenta non pauci Theologi contrariam sententiam tenuerunt, ut Capreolus in 2, dist. 40, quæst. 1, et in 3, d. 14, ad argum. Henrici, contra 2 concl.; Soto, l. 2 de Natur. et grat., cap. 4, et in 4, dist. 15, q. 2, artic. 4, in fine; Hosius, in Confess., cap. 73, in hanc partem multum inclinatur, et Stapletonius, l. 10 de Justific., c. 2, et Medin., dicta quæst. 114, art. 6, aliique moderni Thomistæ frequentius hanc partem sequuntur.

5. *Ad primum ex Paulo.*—*Ad Tridentinum.*—*Ad tertium.*—*Ad ultimum.*—Nihilominus dicta fundamenta parum suadent, quia verbum *gratis justificamur*, apud Paulum, referri potest ad totam justificationis mutationem a prima vocatione usque ad remissionem peccatorum, ut sæpe ab Augustino contra Semipelagianos disputante intelligi videtur; vel potest referri ad solum terminum justificationis, qui est remissio peccatorum per infusam gratiam sanctificantem. Priori modo opponitur omni merito tam de congruo quam de condigno. In hoc tamen sensu non recte in præsentibus citatur, quia non agimus de merito congruo totius justificationis in illo sensu acceptæ, sed de solo termino illius justificationis, seu de infusione gratiæ sanctificantis. Si vero verbum *gratis*, ad hanc justificationem tantum referatur, sic principaliter excludit meritum de condigno, ut exposuit Concilium Tridentinum, dicto c. 8, et supra declaratum est. Et consequenter etiam excludit meritum de congruo, quod in aliqua priori gratia fundatum non sit, quia illud omni gratiæ repugnat. Non vero excludit meritum de congruo fundatum in priori gratia, quia hoc non repugnat omni gratiæ, sed facit, ut sit gratia pro gratia, ut Augustinus in locis citandis docuit. Et ita responsum etiam est ad Concilium Tridentinum, et ad tertiam etiam objectionem, nam licet de ratione omnis meriti sit ut procedat a gratia, non tamen semper est necessaria

gratia sanctificans, sed sufficere potest auxilians, quando meritum est tantum de congruo. Nec D. Thomas oppositum docuit, quia vel loquitur de merito de condigno, vel quando abstracte loquitur, cum partitione accommodata intelligendus est, ut jam insinuavi. Ultima vero objectio in cap. 34 soluta est; nam peccator incapax est apud Deum, ut sit illi debitor ex justitia, non tamen ex congruentia et decencia, quæ non personæ conditionem, sed actionis sanctitatem et proportionem, ut in ea fundetur, respiciat.

6. *De quibus actibus assertio intelligatur.*—*Supponendum.*—*Modus primus dicendi.*—Ut autem sententia hæc magis declaratur et confirmetur, oportet exponere per quos actus possit homo de congruo mereri justificationem in dicto sensu, seu remissionem peccatorum, in quo supponimus debere actum esse bonum, liberum et supernaturalem; sed inter actus hujusmodi quidam sunt, qui tempore præcedunt instans justificationis, et esse possunt in peccatore manente in peccato, qui omnes dicuntur remotæ dispositiones ad justitiam et remissionem peccati. Alii vero sunt qui simul in eodem instanti habent conjunctam infusionem gratiæ sanctificantis, et remissionem peccati, qui actus includuntur in ultima dispositione ad gratiam. Est ergo primus dicendi modus tribuens hoc meritum prioribus actibus remote disponentibus ad justitiam, et negans illud ultimæ dispositioni. Ita tenet Vazquez, nam priorē partem docet, in dicta disp. 218; posteriorem vero addit, disp. 219, cap. 1. Quod si objicias quia ultima dispositio est melior et magis proportionata primæ gratiæ sanctificantis, respondebit, ad meritum non satis esse bonitatem vel proportionem operis, sed requiri etiam antecessorem, unde, si hæc deficiat, licet opus sit melius et magis proportionatum, non erit meritorium. Quia ergo putat contritionem aut primam dilectionem Dei super omnia nullo modo antecedere gratiam sanctificantem per modum dispositionis præparantis ad illam, consequenter dicit non esse meritoriam de congruo ejusdem gratiæ; hoc autem impedimentum cessat in dispositionibus remotis, ut per se patet, et ideo, licet inferiores sint in proportione et bonitate, alicujus meriti sunt capaces.

7. *Secundus dicendi modus.*—Alter modus dicendi, extreme contrarius, esse potest, per remotas dispositiones nullo modo mereri hominem primam gratiam, per ultimam au-

tem dispositionem illam mereri de congruo. Ratio prioris partis est, quia, ut actus sit meritorius de congruo alicujus beneficii, necesse est ut vel infallibiliter illud obtineat, vel saltem quod sit sufficiens, ut intuitu illius sine novo actu vel merito conferatur, nam si aliud adminiculum semper necessarium est, profecto talis actus non est sufficiens meritum. Sed omnis dispositio remota ad gratiam talis est, ut non solum non habeat gratiam infallibiliter conjunctam, verum etiam neque habere possit, secluso privilegio sacramenti, sine meliori dispositione; ergo nulla talis dispositio per se sumpta est meritoria de congruo primæ gratiæ. Unde e contrario probatur altera pars, quia ultima dispositio est maxime proportionata, et non solum sufficiens, sed etiam infallibiliter habens conjunctam sanctificationem per gratiam. Neque illi deest antecessio, tum quia juxta doctrinam communiter receptam, et a Concilio Tridentino satis clare approbatam, negari non potest quin contritio sit vera dispositio præparans, et in eo genere vera causa justificationis, ac proinde antecedens illam ordine naturæ sub aliqua ratione, quæ antecessio ad meritum etiam sufficit, ut in merito augmenti gratiæ manifestum est; tum etiam quia longe probabilius est contritionem, prius natura quam gratia infundatur, procedere ab aliquo auxilio divino excitante et adjuvante sufficienter liberum arbitrium, antequam habitus charitatis, vel gratiæ, aut pœnitentiæ aliquid efficiat; et hæc antecessio ex parte efficientis etiam est sufficientissima ad meritum de congruo gratiæ habitualis, quæ posterius natura infunditur, sive eadem gratia iterum contritionem efficiat, sive non. Hoc enim nihil ad præsens refert, quamvis id affirmare sit vel impossibile vel impertinens, ut in lib. 8 late dictum, et supra tractando de merito de condigno tactum est.

8. *Modus tertius dicendi.*—Tertius modus dicendi utrique dispositioni, remotæ et proximæ, hoc meritum tribuit; si tamen recte explicetur, parum differt a præcedenti, et uterque modus recte explicatus verum potest habere sensum. Pro cujus declaratione, adverto quod duobus modis posse actum aliquem esse meritorium de congruo primæ gratiæ, scilicet, immediate vel immediate. Mediate voco, quando inter actum meritorium et infusionem gratiæ necessario intercedere debet aliquis alius actus, quo ad infusionem gratiæ propinquius accedatur. Nam tunc fieri non potest ut prior

actus justificationem ipsam immediate mereatur, id est, ut immediate ratione illius tanquam meriti de congruo tribuatur; ut, verbi gratia, cum peccator orat sibi remitti peccatum mortale, non potest mereri de congruo, ut propter orationem solam sine alia dispositione peccatum remittatur, sed ad summum mereri de congruo poterit, et impetrare aliquod auxilium, quo se disponat ad remissionem peccatorum obtinendam. Unde immediate mereri de congruo gratiam est illam mereri ut dandam immediate ratione talis actus, et proportionis ejus ad talem formam, ut sine alio actu medio propter illum detur. Quod non aliter probamus, nisi quia illi duo modi possibiles sunt, et per illa verba satis proprie significantur, nihilque aliud nos per illa significare intendimus.

9. *Assertio tertia in ordine.*—Dicendum ergo imprimis est actum, qui est ultima dispositio ad gratiam, illius infusionem immediate mereri aliquo modo, ac proinde de congruo, cum supra ostensum sit non mereri illam de condigno. Hanc assertionem præcipue intendunt antiqui Scholastici in prima opinione, seu pro nostra principali assertione allegati, præsertim D. Thomas, Ferrar., Scotus, Gabriel, et Marsil. qui exemplum adhibet in conversione filii prodigi. De quo ita etiam loquitur Ambrosius, lib. 2 de Pœnit., cap. 3: *Pœnitentiam agendo, meruit stolam, annulum, calceamentum*; et infra: *Surgam, inquit, et ibo ad Patrem meum, et dicam illi: Pater, peccavi in cœlum et coram te. Nonne advertitis id evidenter jam nobis expositum, quod merendi gratia sacramenti ad precandum impellimur*; et infra: *Tam cito veniam meretur, ut venienti, et adhuc longe posito occurrat pater, et osculum tribuat; quod insigne est sacræ pacis, stolam proferri jubeat, quæ vestis est nuptialis*, etc. Hæc autem vestis gratia est, quam, juxta sententiam Ambrosii, peccator per perfectam conversionem aliquo modo immediate meretur. Unde in alio libro de Pœnitentia, Ambrosius in 5 tom. attributo, c. 10, de eodem filio prodigo sic dicitur: *Plenum patris in se provocavit affectum, qui perfectum habuit in pœnitendo consilium*. Ubi non poterat melius meritum de congruo explicare, quam verbo illo provocandi affectum, et postea majori cum exaggeratione dicitur: *Vides converso filio statim stolam pristinam mercimonio restitutam*, ubi particula *statim*, satis declarat immediationem inter meritum et stolam gratiæ, et verbum *mercimonio*, adeo

declarat proprietatem meriti, ut moderatione indigeat; et lib. 10 in Luc., in fin., c. 22, agens de negatione Petri: *Flevit (inquit) amarissime Petrus, ut lacrymis posset suum lavare delictum; et si tu veniam vis mereri, dilue culpam lacrymis tuam, eodem tempore, eodem momento respicit te Christus.* Ubi evidenter de ultima dispositione loquitur. Simili modo Tertullianus, libro 4 contra Marcion., c. 18, agens de pœnitentia Magdalena, loquitur, dicens: *Peccatricis pœnitentia secundum Creatorem meruit, veniam præponere solitum sacrificio, sed etsi pœnitentiæ stimulus ex fide acciderat, per pœnitentiam ex fide justificatam ab eo audivit: Fides tua te salvam fecit, qui per Habacuc pronuntiavit: Justus ex fide sua vivet.* Ubi etiam Pamelius notat sententiam vere catholicam pulchre Tertullianum explicasse, dum et pœnitentiam dicit veniam meruisse, et illud *fides tua te salvam fecit*, de pœnitentia ex fide justificata interpretatur. Et idem fere repetit Tertullianus, infra cap. 20, et simili modo in c. 10, dixerat Achab Regem, maritum Jezabel, reum idololatriæ et reum sanguinis Nabuthæ, veniam meruisse pœnitentiæ nomine. Alludens ad verbum Domini, 3 Reg. 21, quod tractans Hieronymus, epistol. 30, quæ est epitaphium Fabiolæ, dixit: *O felix pœnitentia, quæ ad se Dei traxit oculos, quæ furentem sententiam Dei confesso errore mutavit.* Quibus verbis aptissime causalitatem hujus meriti significavit, et ita lib. 2 contra Pelagianos dixit confessionem peccati humilitate clementiam Salvatoris mereri.

40. *Accedunt Patres.*—Præterea Origenes, homilia 3 in Levitic., eodem modo loquitur de pœnitentia David, et verba illa Psal. 31: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei,* exponit dicens: *Vide ergo quia pronuntiare peccatum remissionem peccati meretur;* et homilia 11 cum generaliter dixisset peccatum purgari per pœnitentiam, subdit: *Quam utrum quis digne gerat, ita ut mereri per eam veniam possit, videto.* Item Cyprianus librum de Lapsis his verbis concludit, dicens de vero pœnitente: *Lætam facit Ecclesiam, nec jam solum Dei veniam merebitur, sed coronam.* Ac denique Augustinus, tract. 44 in Joan., dicit confessionem publicani dicentis: *Deus, propitius esto mihi peccatori,* meruisse justificationem; et in Psalm. 50 de Ninivitis ait: *De incerto pœnitentiam egerunt, et certam misericordiam meruerunt.* Et eodem modo de illis

loquitur Gregorius, l. 3 in 1-Reg., suo cap. 4. Solet autem ab auctoribus contrariæ sententiæ ad hæc testimonia responderi, Patres late et improprie verbum merendi usurpasse. Quod si ab eis intelligeretur de merito improprio, id est, imperfecto, comparatione facta ad meritum de condigno, optima esset interpretatio. Si autem (ut videtur) improprium meritum vocant, id est, metaphoricum, ut solet attribui etiam proprietatibus seu perfectionibus non liberis, responsio est ab intentione Patrum satis aliena, ut patet, tum ex multitudine testimoniorum, tum ex variis modis quibus hoc meritum explicant, tum denique ex subjecta materia, ut in sequenti ratione declarabo.

41. *Deinde ratione probatur assertio.*—Ratione igitur probatur assertio quoad duas partes, scilicet, quoad meritum de congruo, et quoad immediatam habitudinem ad talem effectum. Prior probatur, quia in illo actu concurrunt omnes conditiones requisitæ ad meritum de condigno, una tantum excepta de dignitate personæ merentis; ergo illæ sufficientiunt ut saltem meritum de congruo in tali actu inveniatur. Antecedens per se clarum est ex dictis, quia ille actus bonus est, liber et supernaturalis, et promissionem habet, et sufficientem antecessorem, quatenus est ab auxilio, et non ab habitu. Consequentia vero probatur, quia ille defectus dignitatis personæ non repugnat cum merito de congruo absolute, ut supra ostensum est; ergo nec respectu talis actus inducit repugnantiam, quia nulla est specialis ratio. Imo quo actus ille in se melior et sanctior est, et ex perfectiori motione Spiritus Sancti procedit, eo indignitas personæ minus obstat merito de congruo ejus. Et ne videamur in quæstione de nomine versari (ut quidam volunt), explicatur magis res ipsa, nam meritum de congruo tunc est proprium, quando fundatur in actu morali et supernaturali, et ex se habet perfectionem et proportionem, qua moveat Deum ut justum gubernatorem et provisorem in ordine supernaturali ad remunerandum hominem sic operantem tali vel tali modo; sed ita movet Deum contritio ad remittendum peccatum, et dandam primam gratiam, ut Sancti citati declarant, et res ipsa ostendit, tum quia homo in illo actu facit quantum in se est cum divina gratia in ordine ad illum effectum; tum etiam quia ille actus est moralis dispositio ex se maxime proportionata ad formam gratiæ; tum denique quia est consentaneum divinæ ordi-

nationi et supernaturali providentiæ, qua statuit ut homo viator possit a peccato resurgere, cooperando aliquo modo ex parte sua divinæ gratiæ.

42. *Confirmatio.*—Et confirmatur, nam hoc satis est ut gratia detur intuitu talis operis, non tantum per modum petitionis, sed etiam per modum obsequii et aliquis recompensationis; ergo hoc satis est ut justificatio non detur omnino gratis respectu talis operis, quamvis quatenus illud opus etiam fundatur in gratia, detur omnino gratis; ergo hoc etiam satis est ut in tali opere sit aliquale meritum fundatum in priori gratia. Sic autem Augustinus et alii Patres contra Semipelagianos argumentantur, quod, ponentes gratiam dari propter opera naturæ, consequenter ponent in illis operibus aliquod meritum gratiæ, ac subinde convincerentur dicere gratiam non gratis dari, quia negabant illa opera esse ex gratia. Simili ergo modo nos concludimus quoad primam illationem, quod in tali opere sit aliquale meritum, et non sequitur secunda illatio, quia hoc meritum fundatur in gratia. Altera vero pars de immediateione inter hoc meritum et primam gratiam non indiget nova probatione, quia nullum medium inter ea necessarium est, nec inveniri potest, eo ipso quod talis actus est proxima dispositio ad talem formam, ad quam etiam ex natura sua immediatam habitudinem dicit.

43. *Assertio quarta in ordine.*—*Unde probatur.*—*Dubium et dubitandi ratio.*—Dico secundo: Nullus alius actus peccatoris meretur de congruo et immediate primam gratiam vel remissionem peccati. In hoc sensu censeo secundam sententiam esse omnino veram. Sufficenterque probatur ex declaratione terminorum superius data, quia alii actus, præter contritionem et dilectionem Dei, de se non postulant immediate primam gratiam sanctificantem, nec de se movent Deum ad illam statim conferendam. Unde Deus, etiam ut operans ut justus gubernator in ordine supernaturali, non obligatur etiam ex decentia vel æquitate aliqua ad dandam gratiam immediate intuitu talis actus. Neque in hoc difficultas occurrit. Solum quæri potest an in justificatione, quæ per sacramentum datur attrito, mereatur pœnitens immediate primam gratiam tali modo dandam. Videri enim potest id probabile, nam, licet attritio ex se non sit proxima dispositio ad gratiam, supposita divina ordinatione, est proxima dispositio ad gratiam tali modo dandam; ergo, eo

ipso quod quis accedit ad sacramentum attritus, meretur de congruo et immediate gratiam sibi per sacramentum conferri. Unde Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 4, dixit attritionem ad impetrandam gratiam in sacramento valere, idem enim esse videtur impetrare quod de congruo mereri.

44. *Resolutio probabilior.*—Sed licet hoc possit probabiliter defendi, nihilominus oppositum censeo verum. Quod imprimis suadeo a simili, nam justus qui recipit, verbi gratia, Eucharistiam cum magna Dei dilectione, licet alias de condigno mereatur, non tamen meretur de condigno propriam gratiam sacramenti, nam ideo dicitur dari ex opere operato, quia datur ultra totum meritum operantis; ergo peccator recipiens absolute attritus non meretur de congruo gratiam sacramentalem, quæ illi datur, esto possit per illum actum aliquid aliud de congruo mereri. Probatur consequentia, primo quasi a commutata proportionem; quia non est minus efficax dilectio hominis justi ad meritum de condigno, quam attritio peccatoris ad meritum de congruo, et aliunde, sicut prima gratia datur attrito ex speciali ordinatione divina, ita tale augmentum gratiæ datur justo per Eucharistiam ex simili divina ordinatione; ergo si, his non obstantibus, datur hoc augmentum justo sine merito ejus de condigno, ita etiam datur peccatori prima gratia sacramentalis sine merito de congruo ejus. Denique ratio in utroque membro est eadem, et cum proportionem applicanda, quia illa ordinatio divina extrinseca est respectu talium actuum suscipientium sacramenta, et ideo non auget dignitatem vel proportionem, quam habent ad meritum, quia hæc fundatur in natura et morali conditione talium actuum. Et ideo neque in justo extenditur meritum de condigno ad effectum extrinsecam Dei ordinationem promissum, nec meritum de congruo peccatoris ad proportionatum effectum valet, sed in utroque sacramento effectus datur ex solis meritis Christi, quatenus ex eadem divina ordinatione aliqua conditio ex parte peccatoris requiritur.

45. *Assertio quinta in ordine.*—Dico tertio: mediate et remote potest peccator per bonos actus morales, ex fide et auxilio gratiæ factos, ut per eleemosynam, orationem, et per alias dispositiones remotas, mereri de congruo primam gratiam et remissionem peccatorum. Probatur primo auctoritate Scripturæ et Patrum, nam communiter dicunt hæc